



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Poloniae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67277](#)



# PROVINCIA POLONIAE.

**S**EDECIM erant domicilia huius Prouinciae, præter missionem aulicam Serenissimo Regi concessam. Anno verò hoc postremo accessit decimum septimum VVarsaviæ; Ciuitas ea est frequens satis, & conuentibus Regni publicis opportuna ac percelebris; quæ quod iam pridem optabat, ut Societate potiretur, hoc demum anno obtinuit. Inuenti sunt in vniuersa Prouincia hoc anno, octo supra quadringentos.

IN Collegio Vilnensi 57. in Brunsbergensi 32. viginti sex in Pultouensi. In Polocensi 16. Totidem in Hiesuisensi. In Derpatensi 23. In Rigensi cui domus etiam probationis annexa est, 29. In residentia Gedanensi 4. In domo professæ Cracoviensi ad S. Barbaram 20. In Collegio Posnaniensi 42. in Calissiensi 32. Viginti septem in Jaroslauensi. In Lublinensi 21. In domo Probationis Cracoviæ ad S. Stephanum 40. In residentia Leopoliensi 8. Torunensi 4. totidem in VVelsauensi. In missione aulicæ quinque. Accesserunt 32. Decesserunt ut coniunctè ponantur 22.

C O L

# C O L L E G I V M V I L N E S E .

**I**N T E R eos, quos hoc anno aluit Collegium erant Sacerdotes 11. Magistri 11. quorum duo Theologiam scholasticā, unus casus conscientiæ, unus controversias, & scripturam sacram, Philosophiam unus, Rhetoricam unus, Poësim unus, Grammaticam quatuor in totidem classibus profitentur. Studiosi Theologiae fuerunt 12. Philosophiae totidem: Coadiutores temporales 13. Mortui sunt Sacerdotes duo P. Iacobus Lauinski, & P. Petrus Pludecius. Ille 25. annis: hic ferè 20. in Societate vixit. Vterque Lithuania, vterque zelo insigni præditus, & in aggregandis ex hæresi & schismate ad Christi ouile animabus felix, laboris patientissimus. Prior etiam in Lithuania idiomate rara facundia, & non minus gratæ quam fructuosa omnibus extitit, tota id. Ciuitate attestante, cum & obitum eius magna significatione doloris & funus prosequeretur frequentia tanta, quanta nullius antea. Nostrorum feruor cum in alijs multis religiosis virtutibus, tum verò in subeundis pœnitentijs spontaneis & orationibus profeli successu expeditionis Serenissimi Regis in Sueciam principuſ quidam eluxit.

H A E R E T I C I ad fidem Catholicam conuersi 27. A schismate absoluti 4. confessiones generales de totius vita noxis excepte 25. Baptizata virgo una Iudeis parentibus nata. Eodem sacramento initiati dito Tartari puer & longè plures ætatis maturioris.

P A V P E R I B V S bis hoc anno in hospitali S. Stephani prandium est datum, & prima quidem vice numerati sunt 1800. altera 600. Atque hæc prandia opera vnius

nus è Nostris ex eleemosinis piorum hominum compara-  
rata fuerunt: cibos verò pararunt honestissimæ matronæ:  
Distribuerunt partim nostri Patres, partim externi nobi-  
les & ciues magna ædificatione totius Ciuitatis.

I V X T A hoc idem hospitale quidam ex nostris cor-  
rogata eleemosyna præter domum ligneam pro sacer-  
dote, erexit iam maiori ex parte templum S. Stephano  
dicandum, cuius in fundamentis iecit primum lapidem  
Samogitiæ Episcopus, solenni Ecclesiæ ritu & magno cō-  
cursu cleri & populi. Dicivix potest quātus ardor vtriusq;  
ordinis in sumptuum ac operarum subsidijs suppeditan-  
dis visus fuerit. In carceribus vinceti inducti ad confessio-  
nem: ultimo supplicio afficiendi præparati ad mortem,  
ijdemq; multoties cibo refecti, & alijs rebus necessarijs  
adiuti. Effectum per Nostros ut ciuem quēdam honestissi-  
mum ære alieno prægrauatum, & ob id à creditore in  
vincula coniectum, ciues alij collato symbolo 1200. cir-  
citer florenorum, è carcere liberarent. Quidam ex incar-  
ceratis expedita confessione sacramentali adhuc præsen-  
te confessario ita in seipsum exarsit, & plagis desæuijt, vt  
ægrè potuerit induci vt à verberibus cessaret. Fœmina  
quædam viro proprio relicto & substâlia eius clavis abla-  
ta, procis adhæserat, quo nomine cùm esset coniecta in  
carcerem, & capit is damnata, opera tandem Nostrorum  
& Deo & coniugi est reconciliata, & mortis destinata  
periculo erepta. Duo dissidentes ea conditione redierant  
in gratiam, vt auctor dissidij in pœnam, suis pecunijs li-  
beraret vnum è carcere, quod & fecit. Multi à vita dis-  
soluta, ad leges matrimonij legitimi reuocati. Pagus ali-  
quando integer sacramento Pœnitentia expiatus. Exter-  
norum erga Nostros benevolentia, cum alijs multis offi-  
ciis, tum verò eleemosynis largis egregie est comproba-  
ta. Excreuerunt enim ad summi florenorum 1155.  
Cum multa Serenissimo rege absente ex Suecia infausta  
nunciaren

nunciarentur, & famis simul ac pestis pericula timerentur per totam penè Lithuania, quidam è nostris ad placandam iram Dei præpotentis, persuasit populo solemnem peregrinationem ad ædem quandam B. V. dicatam, à Vilna 20. millibus passuum distantem. Huius peregrinationis ea fuit celebritas, cui nulla antehac similis visa est, siue effusam populi multitudinem, siue ordinem pulcherrimum procedentium, siue rara poenitentia ac pietatis, non modo à vulgo, sed etiam à primarijs hominibus utriusque sexus edita exempla spectes. Res transacta pro dignitate religionis Catholicæ, cum emolumento spirituali Nostrorum, non sine insigni hæreticorum ac schismaticorum confusione, qui tam inusitato spectaculo attoniti, vix hiscere ausi fuerunt, nedum obstrepere pro suo more in odio & Catholicos plusquam vatiniano.

---

## COLLEGIVM BRVNSBERGENSE.

---

**R**ANT inter Nostros hoc anno sacerdotes 10. Ex quibus unus casus conscientia, & controversias: alter Philosophiam docet. Præceptores humaniorum litterarum quinque, Scholastici qui Philosophia dant operam 7. Coadiutores temporales 10. Ex quibus omnibus manserunt 2. partim in conuictu, partim in seminario Pontificio & Dioecesano. Fructus per Nostros ad hæc ferè capita reduci potest. Ab hæresi imprimis 47. conuersi sunt. Inter hos unus octo annorum Bezae discipulus. Duo filii Administrorum, quorum unus ante confessionem ita grauerter tentatus fuit, ut ex ponte præcipitare se voluerit, nisi ab aliquot viris detentus & ad confessionem adductus fuisset,

fuisset, qua peracta omnes prorsus tentationes superauit.  
Ex locis hæreticis varijs plurimi vtriusque sexus hic,  
confessionis causa, confluxere. Cōmunicantium frequen-  
tia solito maior. In festis præcipuis numerati sunt ad  
1500. sat multi pro ratione loci. Nullus etiam dies Domini-  
nicus aut festus elabitur, quin plures communicent. Visi-  
tantem diœcésim Illustrissimum Cardinalem unus è  
Nostris comitatus concionibus suis, quas in singulis ciui-  
tatibus & oppidis fecit, plurimos adiuuit. Eiusdem opera  
Magistratus cuiusdam loci multis annis dissidens à supre-  
mo Iudice, odijs depositis reconciliatus est, ita ut totus  
(erant autem plurimi, iijque graues viri) ad confessionem  
venerit, atque in eo solo loco ad 150. confessiones exce-  
ptæ. Pelleæ à quodam ablegata. Multi variorum ordinum  
ad meliorem vitam excitati. Vnus ab homicidio quod  
moliebatur abductus. Quo tempore Serenissimus Rex  
fuit in Suecia, oratio 40. horarum aliquoties cum flagel-  
lationibus repetita ab ijs qui Congregationi B.V. nomen  
dederunt. Intra domesticos vero nostros parietes, per  
tres menses omnibus Dominicis ac festis diebus conti-  
nuæ orationi à Nostris vacatum. Exercitia spiritualia 10.  
personis tradita. Quatuor ex ijs erant Sacerdotes: toti-  
dem alij iuuenes, magna spei Societatem elegerunt. Ad  
vicina loca etiam excusum doctrinæ Christianæ causa.  
Virgines monasterij cuiusdam vni ex Nostris confessæ,  
plurimumque exhortationibus in visitatione Episcopi  
adiutæ. Scholæ, conciones, aliaque ministeria Societatis  
in eodem sunt statu. Coniunctus etiam solito floret, & suc-  
cedit melius. Plerisque hic Societatis amantes experi-  
mur, qui in hac annorum caritate parum etiam Collegij  
huius necessitates subleuarunt suis eleemosynis, quæ par-  
tim in rebus, partim in pecunia 600. florenos attingunt.  
Contubernij quoque pauperum non immemores ei tan-

rum.

rum contulerunt, quantum anno tōto ad sustentandos  
60. & plures suffecit.

## COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

**E**X his quos Collegium aluit hoc anno Sacerdotes erant octo. Quorum unus casus conscientiæ, alter controverbias prælegit. Præceptors humaniorum litterarum sex. Scholastici qui casibus studuerunt quinque. Coadiutores temporales septem. Fructus domi & foris per Nostros collectus hic ferè præcipiās fuit. Duo viri nobiles extremo odio inter se flagrantes, & nonnisi mutuo sanguine illud extinguiere cogitantes, opera unius è Nostris in eam gratiam redierunt, ut mutuū iam inter se certent officijs. Eadem opera in reconciliandis alijs duobus à Nostris non absimili fructu præstata. Mater vna à cæde filij proprij deterrita. Fœminæ diuæ à vita impura ad honestam reductæ. Vir unus vxori ita infensus, ut eius cædem molitur, persuasione Nostrorum furorem conceptum benevolentia coniugali solita commutauit. Templum quodam vetustate penè iam collapsum, Nostris incitantibus eos, quorum intererat, à fundamentis denuo erectum est. Extractus unus ex hæreseos latibulis, in quibus 30. annis delituerat, ad lucem Ecclesiæ salutarem & rectè viendi ac sentiendi normam edocetus. Idem effectum cum quinque alijs in hæresi educatis & à fide Catholica valde alienis. Pastor item unus, à suis ouibus dissidens, magno animarum despendio ijsdem reconciliatus est. Quidam ex Cosacis Niseuijs (militum id in regni finibus qua Scythes spectat, prope rapto & nulla legē viuentium genus) idemque

idemq; Schismaticus, qui vitæ solutæ sine villa prorsus salutiscura assueuerat, deposito schismate, ad optimam etiam viuendi rationem & erratorum detestationem est adductus. Denique nemo nostrorum Sacerdotum fuit, qui non plures tum vitæ totius, tum plurium annorum confessiones exceperit.

## COLLEGIVM POLOCENSE.

**S**EPTEM è Nostris habuit Sacerdotes, Magistros tres, octo rei domesticæ Adiutores. Num Collégij domicilium, quamvis ligneum, ad tractanda tamen Societatis ministeria loco opportuniore anno 1597. ædificari coeptum, hoc tandem anno maxima ex parte perfectum est, & ipso die D. Catharinæ sacro habitari à Nostris ex arce commigrantibus coeptum, magno Sociorū commodo, cum pari proximorum emolumento coniuncto, quibus iuuandis antea Nostrī propter incōmoditatēm & distantiam arcis, quam inhabitant, non ita vacare potuerunt. Atque ut reliqua in particulari attingam, quæ Dei benignitate ager Polocensis hoc anno protulit, occurrit imprimis rara vnius è Nostris virtus in graui ac diurno morbo (quo etiam confectus est) omnibus domesticis perspecta. Hic quatuor fere integros menses lecto affixus iacuit, sola penè eute osibus adhærente, dorso & lateribus attritis, nullum ramen toto infirmitatis tempore aut verbo, aut signo, animi impatientis signum dedit; illud tantum beneficium diuinum prædicans, quòd eum ad Societatem vocare, & in eadem ad finem usque permanere concessit.

C A E T E R O R V M vero è Nostris opera, tam foris  
D d

quām domi proximis nunquam defuit. Ac domi quidem in templo nostro plures fuere vīsi quām annis superioribus, qui sacramenta Poenitentiæ & Eucharistiæ frequenterant, in festis præsertim solemnioribus. Foris in missiōnibus ad varia loca institutis trecentæ viginti ut minimum confessiones exceptæ. A vita impura reuocati sex. Duo deterriti ab usuris, & ad restitutionem inducti. Adiuti plures quām 30. per generales totius vitæ confessiones. Vir quidam militaris decennio integro usum Sacramentorum intermisserat, nullis consilijs aut exemplis cedens. Is cum postea grauissimis podagræ doloribus corruptus esset, alijs remedijs frustra adhibitis, voto confessionis omnem vim morbi eodem penè momento a se depulit, & statim accersito uno è Nostris, omne conscientiæ pondus omnino depositum. Non dissimilem Confessionis & sacrofanciæ Synaxis fructum, foemina etiam quādam profluvio sanguinis è naribus manante, cum vitæ periculo laborans, experta est. Subuentum cuidam seni decrepito, & oculis penè capto administratione eorundem sacramentorum, à quibus 37. annis abstinuerat. A schismate ad unionem Catholicae Ecclesiæ adducti 35. in quibus erat vir unus, qui cum à Catholica fide resiliendi consilium cepisset, & in eo pertinaciter aliquandiū persistisset, spectris tandem & terroribus nocturnis ad pristinam fidei Catholicae veritatem à Deo compulsus, publicè schisma abiurauit, confessione præmissa. Foemina item una à lapsu simili, multis calamitatibus Dei iudicio immisis, ad meliorem mentem rediit. Nutantes in fide multi confirmati: adiuti etiam nonnulli à pestifera hæreticorum libellorum lectione. Adolescens Catholicus sponsam parentibus Schismaticis ortam, nullis vel persuasionibus, vel incommodis propositis, & biduo integro utrinque agitatis, adduci potuit ut à Schismaticis benedictionem matrimonij reciperet. Quare perfregit sua constantia omnia

omnem importunitatem Schismaticorum potentium a-  
lioqui , & à sacerdote Catholico in templo Catholico  
coniunctus est. Habita eodem tempore concio ab vno è  
Nostris , qua confitatae fuerunt calumniæ hæreticorum  
in Ecclesiam Catholicam , & illud saltem effectum , vt  
nonnulli hæretici indignabundi suis ministris & catechis-  
mis , ex templo discederent , quod contra expressum D.  
Pauli testimonium Matrimonium Virginitati prætulerint.  
Vir quidam nobilis vxore & filio orbatus , cùm authori-  
tate quorundam propinquorum hæreticorum premere-  
tur , & adigeretur vt vtriusque defuncti corpus ritu &  
loco hæretico terræ mandaret , fortissimè omnibus resti-  
tit , & victor evasit , procurata more Catholico in loco sa-  
cro sepultura. Calvinianam perfidiam quinque abiura-  
runt. Virgo vna nobilis annorum 13. hæreticis parentibüs  
nata , & in hæresi educata , cùm aliquoties templum no-  
strum intrasset , tantum ardorem & desiderium fidei Ca-  
tholicæ concepit , vt nullis postea matris & consanguini-  
neorum precibus aut medijs abduci potuerit. Cum non  
multò post in morbum incidisset , animum & zelum Ca-  
tholicæ fidei constantissimè protestata , obtinuit à suis  
post mortem vt in templo nostro sepeliretur. Id quod  
honorificè ei præstitum est , & tum concione funebri , tum  
alijs ritibus Ecclesiæ consuetis , quod constantia & vir-  
tuti ipsius debebatur , persolutum. Hæreticus quidam  
perfrictæ frontis , cum templum nostrum bis furibundus  
ingressus esset , & suis blasphemij pene tumultum exci-  
taisset , admonitus fuit à Catholico quodam , vt pro tam  
audaci facinore breui interitum suum expectaret. Nec  
vana fuit præmonitio : nam intra paucos dies incidit in  
suos quosdam hostes , ab ijs glande primum plumbea tra-  
iectus , deinde varijs vulneribus affactus , oris inter alia  
blasphemi discissione graui & ad linguam extrahendam

D d b 2

præparato fœdatus, intra paucas horas infelicem animam exhalauit.

## COLLEGIVM NIESVIESIENSE.

**V**ERVNT hoc anno semper sex Sacerdos-  
es, è quibus unus Præceptorem egit huma-  
niorum litterarum: duo præterea alij Magistri  
inferiorum scholarum. Reliqui Coadiutores.

In templo nostro nunquam defuere, qui singulis penè  
hebdomadis ad SS. Eucharistię sacramentum accederent.  
Plurimi per generales cōfessiones sordes inueteratas ex-  
piarunt. Lites extinctæ, restitutionsque iniuste partorum  
factæ. Ad Ecclesiæ sanctæ gremium à varijs hæresibus re-  
uocati 18. In his ynius nobilis foeminæ insignis redditus  
fuit, quæ in deteriores semper hæreses à Lutherana pro-  
labens, ex ipso iam limi anabaptistici, in quo iterato ba-  
ptismo demersa fuerat, profundo extracta est. Aliquot  
etiam Schismatici Ecclesiæ reconciliati. Nutantes in fi-  
de confirmati. Multi abusus ex contagione hæresum &  
schismatis superstitionibus passim grassantes repressi. Sa-  
cerdos unus primum Deo sacrificium oblaturus, exerci-  
tijs spiritualibus excultus est. Eadem experiri voluerunt  
duo ab hæresi conuersi ante errorum suorum euratio-  
nem. Creuit etiam his temporibus mirè veneratio D.Ra-  
phaelis Angeli, cuius ara & sacellum non multo ante in  
Ecclesia nostra erectum, è tota vicinia frequenter visitur,  
& cum multi votis nuncupatis sanitatis beneficium retu-  
lissent, famam celebrem ad plures alias transmiserunt,  
qua exciti multi non tantum æmulatores devotionis a-  
liorum, sed etiam participes beneficiorum & præmiorum

sux

fūe in diuum fiduciæ esse metuerunt. Ut è multis pauca attingam: Nobilis quædam matrona vñ pedum, quo septénio ferè iam caruerat, huic Angelo sancto acceptum refert, per somnium etiā animata ad iter (quod iam quidem arripuerat, sed cunctari non nihil cooperat, & deterri dolore qui eam ægrè patiebatur progredi) vt illud perficere nil dubitaret, & votum spei plena compleret nuncupatum. Alia itidem fœmina nobilitate insignis animam suam & infantis sui penè iam fugientem, voto similiretinuit. His & alijs similibus occasionibus vñ Nostris, Sacramento Poenitentia, & SS. Eucharistia multos adiuerunt. Scholastici qui scholas nostras frequentant, egregium semper specimen pietatis, quoties se fœmina publica obtulit, dederunt: præfertim verò ij qui se Parthenicæ Sodalitati addixerunt. Accidit nonnullis ut inter suos, eosque à fide Catholica alienos, vi morbi oppressi cum essent, & sacramenta Ecclesiæ extremo vitæ periculo opportuna expeterent, ægrè tandem obtenta, salutaria sibi senserint, non minori sua cum consolatione, quam confusione hæreticorum, qui ea impiè irridebant. Vnus adolescentis ex eadem Sodalitate, quem morum licentia alio abripuerat, sui penitus immemor vnius è Nostris colloquijs permotus, ad pristinæ vitæ fructum reductus est.

## COLLEGIVM DERPATENSE.



O VEM omnino inter Socios Sacerdotes toto hoc anno numerati sunt: duo ex illis duas superiores classes humaniorum literarum procurabant: Alij præterea Magistri duo infe-

D d 3

rioribus, totidem Scholastici præerant. Reliqui vel scholastici fuerunt, qui humanioribus litteris dabant operam, vel Coadiutores, qui in re domestica procuranda Collégium adiuvabant. Domi in consueto disciplinæ studio perimouendo & conseruando nil prætermissum. Scholasticorum qui ex familijs varijs hæreticorum ad nos confluunt, facta hoc anno non contemnenda accessio. Exercitia scholæ & pietatis vigent inter eosdem, præfertim verò Parthenicos, qui in hebdomada sancta, postquam duodecim pauperum studiosorum pedes lauissent, feria quinta, die sequenti acriter flagris in se sœuentes, egregium specimen virtutis Christianæ dederunt, & externos non tantum in admirationem sui, sed & ad æmulationem pertraxerunt.

E X missionibus cum alias Collegio usitatis, tum verò hoc anno crebrius institutis per Liuoniam egregius fructus illectus. Septies excusum est prolixiore digressu ad loca varia, ut omittam minutiores euocationes quasdam nostrorum. Sacrosancto Eucharistiae sacramento refecti domi quidem 4164. foris verò 920. Qui totius vita peccata confessione expiarunt 1310. baptizati ut minimum 700. Ritus omissos in eodem sacramento addidere postea plusquam 120. Ab hæresi absoluti 34. à Rutheno Schismate 18. Spiritualibus exercitijs expoliti 4. Moschus unus qui in fide Catholica iam ab annis 30. suscepta vacillabat, apud unum ex nostris omnem animi vacillationem depositus. Multi ad intermissum etiam pluribus annis morem confitendi redierunt. Quidam etiam cum non sine scandalo ab Ecclesia Catholica resiliisset, ob spem conjugij cum hæretica quam ambiebat, & per 7. annos inter hæreticos hæreticus vixisset, ad cor tandem reuersus hæresim omnem, gremio Ecclesiæ receptus, eiurauit. Adolescens unus in Germaniam profectus triennio integro ab hæreticis oppugnatus, expugnari non potuit. Et ut

primum

primùm illi redire ad Nostros licuit, ad officium suum se retulit, interceptamque ab annis tribus confessionem reuocauit. Alium quēdam victimum in hoc genere à fidei hostibus sceleris pœnituit; & iam nihil aliud optat quam ut eò redire possit, vbi Catholicam fidem animo conceptam liberè profiteri ei liceat. Pellices nostris suasoribus dimiserunt nonnulli, & pœnitudine ducti dedecus pristinum legitimi deinceps connubij honestate texerunt. Multi vel à Confessarijs inducti, vel permoti concionibus, vel priuatis nostrorum colloquijs emolliti depoſuerunt grauia ac inueterata odia magna significatione mutuæ benevolentiae. A Egris & agoni proximis, itemque extremo supplicio plectendis, opera nostrorum cum fructu optato sèpius impensa. Multi sacramentorum Confessionis, Eucharistiæ, & Extremæ vñctionis beneficio non modò animi, sed corporis etiam sanitatem adepti fuerunt, præter suam & medicorum expectationem omnem. Vnus etiam morbo obrutus cùm linguæ vsum omnem amississet, & nunquam adhuc peccata sua confessione eluisset, precibus astantium, duce & auctore Confessario, de salute ipsius sollicito, amissum sermonem recuperauit, & peccata sua omnia ritè per confessionem detexit. Et contra alius fructu non dissimili, vt primùm inaculas animi confessione abstersit, loquendi facultate priuatus est. Adolescens vonus factus ex hæretico Catholicus, cùm in morbum incidisset, perceleri morte ereptus, suæ perfidiae & inconstantiae pœnas dedit, ad partes quippe hæreticorum rursus redierat, Deo misericordissimo iacturam hanc omnem non magna interposita mora duorum adolescentium conuersione, ex hæresi ad fidem Catholicam, & constantia insigni abunde compensante, magno Catholicorum solatio. Sumus experti ciuium in nos animos hoc anno procliuiores: Præfectos etiam Oeconomiæ fauenteres, inter quos Toparcha ipse Derpatensis, quantumuis

Dd 4

à Religione Catholica adhuc alienus , propensæ tamen erga nos voluntatis signa non obscura edidit,cum in alijs multis,tum in concedendis literis patentibus,quibus vniuersæ Oeconomia p̄fectis,vt nobis salutem animarum per varia loca Liuonie circumuicina procurantibus,omni studio & auxilio adessent,seriò, discrètè, diligenterque mandauit. Collegij nostri pars vna renouata. Templum item , altera , quæ supererat olim, parte tectum,& intus dupli choro egregiè fabrefacto exornatum. Hæc anno isto ager protulit Estonicus.

---

## C O L L E G I V M R I G E N S E .

---

**R**I GAE vna est Nostrorum sedes , sed ea bipartita ; quippe quæ vnâ & collegas , & eos qui in probatione versantur continet. In his Sacerdotes numerati 12. quorum tres tertium probationis annum agunt: octo Fratres veterani : reliqui Nouitiij. Siuis vtrisque pro portione non defisiit fructus: quanquam tyronum,vt decuit , maximè spectatus domi, Veteranorum foras emicuit. Habiti sunt in templis nostris sermones ad populum statis anni diebus , tribus linguis Germanica, Polonica, Lotauica, eo fructu qui colligi potuit in tanta inuidia obtrectationeque ordinis nostri, in Cittate hæretica quæ Ministis scatet, Lutheranis in id vnum potissimum intentis,vt nos modis omnibus ad populum perpetuò traducant.

VT I L I O R autem fermè labor collocatus est in missionibus varijs , ad circumuicina Liuonie & Samogitiæ oppida,ad villas quoque & pagos Collegij, institutis. Deducti domi & foris à prauis opinionibus quas partim hæresi,

hærefi, partim in schismate altè imbiberant quinquaginta. Et quidem duo in præsentia Vendensis Episcopi, & celebri nobilium concursu fidem Catholicam professi, magna omnium gratulatione errores publicè eiurarunt. Bis mille sexcenti sexaginta circiter fuere, qui sacra confessione flagitia sua expiarunt: horum magna pars repetita ab ineunte ætate peccata detestati, totiusque superioris vitæ errata poenitentia redemerunt. Ex eodem numero plerique ferè omnes mysticum Eucharistiæ sacramentum percepérunt. Vnus certè sacerdos noster egregia itinerum & laborum patientia, obiens pagos magna rerum diuinarum ignoratione syluescentes 1026. ad sacram synaxim instruxit. Eadem opera nostrorum 54. paria ex decreto Tridentinæ sinodi ritè matrimonio deuincta. Parvum quod mutuo tantum consensu consueuerat in decrepita senectute Catholicarum coerimoniarum legibus adstrictum. Sublata multorum iurgia, sopitæ simultates, grandiores æris restitutions aliquot factæ. Lustralibus denique sacri baptismi aquis 184. sunt abluti.

EX C V R R I T Sacerdos noster incitatu cuiusdam Nobilis ad ipsos usque Moscouiæ fines, ubi cum nihil preter Baptismum & nomen Christianorum reperisset, plurimos rudium animos doctrina Christiana imbuit. Catholicos ritus antiquos penitus neglectos renouauit: præbuit eis Ecclesiæ sacramenta Poenitentiæ, Eucharistiæ, Matrimonij; præcelsas & annosas arbores, in quibus ille populus stultus nescio quid numinis inesse suspicabatur, excidit, omnibus stultitiam suam accusantibus, quod aliquando ad has arbores sacrificarent mali auerruncandi causa, & ad eliciendum in siccitate imbre supplicarent. Fuere præterea inibi quidam fortilegi, qui rogatu pagorum, fortibus iactis fascinarent pecora; his persuasum omnibus ut ab huiusmodi idolorum cultus reliquijs abstinerent. Quod cum præstitissent, veneficiorum etiam

Dd 5

vsum in miram rerum sanctarum venerationem committarunt. Non defuerunt rustici & pescatores, qui vetere Lotauorum bene de religione sentientium more, sacerdotem exorarent; illi quidem ut herbas, salem, frumenta, aquam, agros prosequeretur prece: hi ut retia benediceret. Quo impetrato, morbos illi auerti a corporibus, a fatis grandinem, pestem a pecore: hi vero beneficijs exultii retia professi sunt. Inducti similiter a Nostris varijs in locis, ut a superstitione quadam desisterent, epulum prebendi animis mortuorum pascendis: quo pro suis quisque opibus apparato cibo, effundit primo aquam sub mensa, tum cochlearia erigit in patinis, thus deinde & cereos inter prandendum etiam media luce accedit, ad extremum ad tumulum delatis escis, mortui nomen per fortilegium inclamat, escasque relinquit in vasculis, ut noctu mortuorum animi prodeentes habeant, quo se se alant. Cum interim praestò sint canes, & quae parata sunt deuorent: illi vero confecta putent ab animis.

CVM essent ad tertium probationis annum Rigam missi duo Patres, peragrarunt magnam Samogitiæ partem cum illius dioeceseos Episcopo, quo in itinere rudes fidei rudimentis imbuti: ad Sacramentorum vsum frequentem pene iam abolitum extimulati plurimi: Puella una iam duodennis inter alios baptizata; quidam a contubernio concubinarum extracti: unus a consilio violandi pudicitiam cuiusdam Virginis abductus: in quibusdam ebrietas repressa: multarum Ecclesiarum decus & cura debita reuocata, ruinæ restauratæ: libri aspersi erroribus perfidiæ, flaminis exusti. Hæretici quidam in disputatione ita confusi, ut a suis metuasse clis ludibrio haberentur, & unius scrupulus sit iniectus. Pecunia non exigua cum esset Nostris oblata a matrona quadam illustri loco nata, magna cum ædificatione & admiratione paupertatis nostræ fuit repudiata. Eodem itinere indictæ sunt quadragena-

rum

rum horarum supplications & litaniarum frequentationes, ad auertendam pestem famemque. Persuasum ditioribus nonnullis, ut grauitate anni, sterilitateque annonæ afflictorum subditorum non tantum vestigalibus parcerent, sed etiam graui multorum inopiae, & quæ extremam omnibus calamitatem minabatur prouiderent. Habitæ per eam occasionem crebriores ad populum conciones, cui tot malis attonito & penè exhausto, ostensa sunt, propter quæ Deus tales ac tantas poenas exigit, peccata. Et hæc in Samogitia à Nostris.

RIGAE Scholaſtici externi non multi quidem in ſcholis noſtris morantur, eò quod tum rigido Ciuitatis decreto, tum pertinaci nobilium hæreticorum conſpiratione eorum filij à noſtra disciplina arceantur: pauci tamen illi hoc anno partim in ſolemni & anniuersaria proceſſione Corporis Chriſti, partim in Dramate quodam publicè exhibito, eiusmodi modetiæ & ingenij ſpecimen dederunt, ut totius Ciuitatis oculos in ſe conuerterint, & ciuium animos ſibi & Collegio deuinxerint. Populi quoque ſedatus furor in nos videtur. Nec enim fœda amplius in nos cantica componunt, non ſchedas infames ſpargunt, abſtinent ab iniurijs, nullis quibus antea ſolebant in publicum prodeuentes conuitijs profequuntur. Rogatus quidam ē ſenatu 100. trabes pro facello extruendo, ſupra centum 50. donauit; & ſyluæ ſuæ cæduæ liberalem & prolixam nobis ad prædij viſus potestatem fecit. Idem ministro Lutherano exturbato permifit Catholico ritu templum in ſuis bonis expiari. Expoſtulantibus verò ſuper electo rabula quibusdam viris nobilibus Lutherana labē infectis: Quid(inquit)hiſcene ergo lurconibus ad popinas & ganeas natis, qui tam inhianter ſaginandis ſuis pinguibus aquaſculis intenti ſunt, homuncionibus, & ſuis & aliorum ſceleribus obrutis, animaruin curam crederem? abeant ad ſtabulandos potius boues.

Porrò

Porrò quoties in nostrorum hominum mentionem incidit, magno semper honore verborum vtitur. Quem magna spē teneremur Catholicum fore, si perpetuis suorum conuicijs & vexationibus in tam corrupta ciuitate fidem & salutem suam redimere vellet. Alter quidam obtulit Nostris chirographum, quo ei vir Illustris fidem persoluendorum 140. talerorum obligauerat, & hanc pecuniam hæreticus homo Nostris exigendam commisit, eandemque ad Organici systhematis in templo nostro strūturam destinauit. Episcopo quoque utimur sane propitio. Hic ante festa Paschatis exercitijs spiritualibus domi nostræ, vnâ cum quodam Cathedræ suæ Prælato vacare voluit. Postea verò demisit se ad squallidos illuuiie pauperum abluendos pedes, ipso die coenæ dominicæ solenni ritu, magno hæreticæ Ciuitatis exemplo, quo gemitus quibusdam, nonnullis etiam lachrymas excuslit. Idem Antistes aliquoties in templo nostro ritu Episcopis visitato, sacris operatus est: aliquoties etiam in magno populi concursu prolixum ad reuincendam hæresim sermonem habuit, & æquis animis & auribus auditus religionis melius examinandæ desiderium nonnullis iniecit.

E Nouitiortum grege (vt de his etiam aliquid dicam) exacto probationis biennio, ad varia huius Prouinciarum Collegia, sex hoc anno missi: Cæterorum qui exercentur magna spes & peculiare relucet studium, vt tales sint, quales nostri instituti ratio postulat. Peregrinationes ad loca varia 9. suscepérunt, varijs contumelijs & iniurijs affecti. Vni ex his colaphum Pater familias hæreticus, apud quem ex itinere diuerterat, impegit, quem cum magna animi tranquillitate & tolerantia pertulisset, ita confudit & compescuit quorundam hæreticorum præsentium insolentiam, vt indigne ferrent iniuriam illatam. Quin & ipse paterfamilias percussor à furore illico conquieuit, & cœvit deinceps, vt ne verbum quidem paulo acerbius

acerbius ad aures Nostrorum transmitteret. Vnus verò tyronum hoc anno diem suum extremum obiit, spectataq; iuuenis patientia, & magna reprimendorum affectuum cura. Labore vlo aut corpus eius fatigari, aut animus vinciri nunquam potuit. Puer in hæresi enutritus, post Philosophiæ curriculum Vilnæ absolutum & Magisterij gradum obtentum, Societatis compos magno suo gudio factus, huc ad prima Societatis tyrocinia venerat.

## DOMVS PROFESSA CRACOVIENSIS AD S. Barbaram.

**E**x ijs quos hoc anno domus aluit, fuerunt perpetuò Sacerdotes octo, Coadiutores temporales nouem, duo Nouitij, quos domus Probationis submittere solet. Conciones à Nostris habitæ non tantum in Ecclesia nostra, sed etiam in varijs alijs Vrbis templis, non sine fructu. Ex varijs hæreticorū sectis in viam veritatis adducti 26. in quibus vñus singularem planè Dei circa se prouidentiam expertus: erat enim homo septuagenarius, & altè ab annis multis hæresim imbiberat. Is à filio suo Catholico adductus ad Sacerdotem nostrum de religione multis contulit; sed veritati tandem conuictus de erroribus cessit, & in finum Catholicæ Ecclesiæ redire constituit. Sed cum partim ad explorandam eius in fide constantiam, partim ad pleniorē institutionem sensim communicandam non statim ad Sacraenta admitteretur, conscientiæ stimulis exagittatus, ad Sacerdotem eundem ex Nostrisredit, ad pedes se illius prouolut, orat propter Deum, vt liceat ei tandem grauissimum peccatorum onus deponere. Deposuit illicò

illico & sacræ Confessionis & Eucharistiæ sacramento percepto, pace & tranquillitate animi quam optabat potitus lætus in domum suam abiit. Anabaptistæ item cuiusdam filius paterni erroris particeps cum duabus sororibus sectæ eiusdem, Nostrorum opera & directione, sacro Baptismatis fonte ablutus est, idque intra priuatos facelli cuiusdam nostri parietes, ad declinandum parentis perfidi odium. Vna vero ex Virginibus illis duabus natu maior, cum post menses aliquot in morbum lethalem incidisset, magnopere Sacramentum Eucharistiæ pro viatico expetijt. Audiuit Dominus eius tam sanctum desiderium, & modum suggessit, quo in domum paternam colluie hæreticorum scatentem sacerdos noster hostiam consecratam clam intulit, & porrexit infirmæ tanto animi ardore preces fundenti, ut lachrymas astantibus non nullis excusserit: & tandem spiritum Deo, ad quem anhelebat, piissimè reddidit. Non pauci in fide fluctuantes sacramentorum usu frequentiore, & Nostrorum consilijs confirmati. Noxas totius vitæ eluerunt per confessionem septuaginta, in quibus nonnulli maturæ, alij etiam decrepitæ ætatis reperti fuere. Exceptæ multorum confessiones, qui Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentum ab annis 10. 20. 30. 40. ob varios respectus, vel timores inanes intermisserant. Vnus cum saepius confessionis causa templum nostrum adiret, sed accedere ad sacerdotem, terrore quodam repentino percussus non auderet, tandem ab uno è Nostris Confessarijs (qui cunctationem eius obseruarat) quodam tempore postulatus, num quid vellet confiteri? se velle respondit. Animatus à Sacerdote accesit, & magna animi consolatione sarcinam conscientiæ, qua grauabatur depositit: fassus alioquin se etiam tunc absque confessione abire è templo constituisse, nisi tam benignè inuitatus fuisset. Præterea ex vicinis & remotioribus oppidis, partim sponte sua, partim à Parochis

this remissi ad enodandas conscientiae difficultates confluxere hoc anno ad nos tro non pauci. Ab illicitis amoribus & maleficijs abducti aliquot. Foeminæ complures à viræ solutæ turpitudine reuocatae : aliquæ etiam à diurno pellicatu ad leges matrimonij transierunt. Coniuges capitali odio inter se dissidentes , mutuæ benevolentia restituti. Inimicitiae sopiae. Nosodochia pauperum & custodiæ publicæ visitatæ. Extremo destinati suppicio adiuti. Ter hoc anno in nostro templo oratio 40. horarum in maxima frequentia populi fuit instituta & coherestata à varijs Confraternitatum supplicationibus , in quibus etiam publicæ verberationes non defuerunt , quæ populum præsentem ad lachrymas & penitentiam valde commouerunt.

**C O N G R E G A T I O** Misericordiæ , cuius dirigendæ in spiritualibus Nostri nonnullam curam habent , si vñquam ante viguit , nunc maximè viget floretque. Nam ad consueta pietatis officia , quibus hactenus sese exercevit , suscepit in se nouum onus sub patrocinio S. Nicolai , nimirum virginis honestas in matrimonio collocandi , quibus dos aut nulla aut exigua à parentibus relicta esset , & ob id eorum pudicitia periclitaretur. Ad hanc rem ipso statim initio viri quidam pij , & in eadem Confraternitate primarij 4000. florenos contulerunt , quorum exemplo speramus non defuturos alios qui opus tam præclarum sua liberalitate prosequantur. Suppellex sacrarum vestium magni splendoris ac precij hoc anno adiecta est , & quæ 1000. florenorum estimari potest. Accesserunt præterea empta florenis 400. candelabra duo ex orichalco fusili opere , & raro artificio elaborata , quæ magnum addunt splendorem summo altari , ad cuius gradus disposita consistunt. Denique fabrica templi noui magis ac magis in altum consurgit Serenissimi regis munifica-

tia ac

tia ac liberalitate singulari, quæ nunquam hactenus de-  
fuit, nec defutura quoque deinceps creditur.

---

## COLLEGIVM POSNANIENSE.

**A**V C T O numero Nostrorum hoc anno , au-  
tus etiam est operariorum & occupationum  
numeris, Nam Sacerdotes numerati fuere 14.  
ex quibus Professores duo Theologię Schola-  
sticę, unus Positię & controversiarum, unus Casuum,  
linguę Hebreę unus, Logicę unus, Humaniorum littera-  
rum Præceptores quinque : Scholastici 14. quorum sex  
Theologiam, reliqui Philosophiam audiunt. Coadiutores  
temporales nouem. Mortuus sacerdos unus P. Ioannes  
Cosminius coadiutor formatus, qui postquam Procura-  
toris officio pluribus annis functus fuisset, & varia alia  
Sacerdotum munia præclarè obiuiisset, in grauem ac diu-  
turnum langorem incidit, quo sensim consumptus est,  
relicto egregio suę patientię & pietatis in Deum exem-  
pli. Ad conciones faciendas Nostri euocati fuere pro-  
actibus & festis celebrioribus frequenter, tum in ipsa Ci-  
uitate, tum extra, præsertim ad funera Nobilium, in qui-  
bus non raro obijciuntur hæresi infectis scrupuli de reli-  
gione, & multi haec occasione ad fidem Catholican con-  
uertuntur. Cuidam, qui non exiguum damnum intulerat,  
persuasum est, vt obsequijs & fidelitate, cum aliás soluen-  
do non esset, compensaret. Exercitijs spiritualibus exculti  
aliquot, è quibus unus insigni se retulisse fructum gau-  
dens profitebatur. Visuntur à Nostris hospitalia crebrius,  
impenduntur consueta Societati charitatis officia. In uno  
etiam cuius sacerdos proprius iam ab aliquo tempore ex  
morbo

morbo decumbit, Noster solet frequētissimē supplere vi-  
ces infirmi, & sacris operatur festis diebus, magno pau-  
perum solatio. Reconciliationes non paucæ inter ciues &  
nobiles utriusque sexus opera nostrorum procuratæ;  
maximè conspicua erat, quæ inter Episcopum & Abba-  
tem Monasterij vnius successit, & occasionem præbuit, vt  
omnes qui ad illud Monasterium pertinebant ad Sacer-  
dotem nostrum, qui auctor pacis extiterat, accurrerent, &  
magna animi sui consolatione totius vitæ suæ noxas in  
confessione deponerent. Alterius etiam Monasterij reli-  
gioſi, Abbatis sui consensu, accessiti, vnius è Nostris opera  
utiliter vñi sunt, quorum alij de tota vita confessi, alij spi-  
ritualibus exercitijs exculti, alij cohortationibus & allo-  
quijs adiuti fuere plurimum. Tam domi quam foris ex-  
ceptæ in vniuersum à Nostris confessiones generales su-  
pra 100. Hæresim detestati, & in sinum Ecclesiæ reducti  
plures quam viginti. Nobilis quidam Catholicus morbo  
graui correptus, cùm in domo sororis suæ fœminæ hære-  
ticissimæ decumberet, & eiusdem opera omnem aditum  
agendi de rebus ad salutem suam spectantibus præclu-  
sum haberet, adiutus est tandem ab uno è Nostris, qui  
occasione quadam, quam diligenter obseruarat, vñus, in  
hospitium infirmi perrumpit, hominem consolatur, eius-  
que confessionem vñ cum professione Catholicæ fidei,  
qua falsum de suo ad hæreticos perfugio rumorem abo-  
lere volebat, excipit, & die sequenti viatico etiam extre-  
mo communire fecit, frustra frendentibus hæreticis.  
Quotidianæ confessiones pene singulis diebus excipiuntur,  
ab uno vel altero è Nostris Sacerdotibus in nostro  
templo. Ad scholarum ornamentum, quæ numerosam iu-  
uentutem ex nobilitate & ciuibus continent, accessere  
religioſi septendecim ordinis sancti Benedicti, & Ci-  
sterciensium, ex varijs Poloniae & Prussiæ Monasterijs  
huc studiorum causa destinati: qui simili à Nostris in mo-

Ee

do orandi, meditandi, & alijs exercitijs diriguntur iuxta captum & institutum singulorum. Ex Schola sticis qui se Congregationi B. V. aggregarunt confitentur plerique creberi in e: inuisunt Xenodochia, & se in charitatis & pietatis Christianæ officijs egregie exercent: neque pauci illorum ad religionem aspirant: aliqui etiam iam suis votis potiti sunt.

M VLT I fama exciti cursus Theologiæ, qui hoc anno inchoatus est, ad scholas nostras conuolant ex varijs partibus, præsertim circumuicinis. Eiusdem cursus promouendi studio incensus vir quidam magni nominis 1500. florenos ad censum perpetuum augendum contulit. Fabrica quoque Collegij hoc anno ex eleemosynis ferre creuit, extructis duabus scholis elegantibus & capacibus, quæ in usum Theologorum & Philosophorum cesserunt. Auctum est situ Collegium peropportuno. Empta enim est domus vicina 3000. florenorum quæ iampridem ad dilatanda Collegij spatia expetebatur. Sed neque tempulum nostrum hoc anno eleemosynis caruit. Donata sunt peristromata quædam per pulchra à viro quodam nobilissimo, quæ 200. florenis æstimantur: alia item varij generis suppellex à varijs oblata, quæ 150. florenis constitit ut minimum. Denique habuimus Dei benignitate annum hunc sat propitium, & commodis spiritualibus & temporalibus fauentem.

## COLLEGIVM CALISSIENSE.



N ijs, quos hoc anno Collegium aluit, fuerunt ut plurim in Sacerdotes duodecim, quorum unus Casus conscientiæ, alter Philosophiam, tertius Controversias & Mathematicam explicat

plicat. Quatuor præterea Præceptores totidem Scholis  
humaniorum literarum præsunt: septem qui Philosophiæ  
nauant operam. Reliqui domestica officia obiuere. Vnus  
morte sublatus: nimis P. Alphonsus Pisanius. Is Toleti  
in Hispania natus, in eadem postmodum Academiæ Ma-  
gister Philosophiæ & Medicinæ licentiatus pronuntiatus  
fuerat. Deinde ab ipso B. P. nostro Ignatio in Societa-  
tem assertus, Romæ Philosophiam docuit, ibidemque  
Theologiæ Doctor creatus, in Germaniam missus fuit, in-  
deque in Poloniam venit, vbi totam reliquam ætatem  
exegit, docendo tum publicè, tum priuatim magna cum  
laude Scholasticam scripturam, controversias, casus con-  
scientiæ. Vixit annis 71. studio lectioniique addicetissimus,  
ac imprimis rerum humanarum contemptor insignis, qui  
cum 4. fermè annos æger decubuisse, exente hoc anno  
ad coelum, ut speramus, laborum & patientiæ præmia  
percepturus, immigravit. Discipulorum numerus post indu-  
ctum in Collegio hoc Philosophiæ curriculum augeri in-  
signiter cœpit, ut iam prope 600. numerentur, non voca-  
tis in hunc numerum ferè 200. qui in duabus scholis pa-  
rochialibus ex Nostrorum ordine & præscripto in rudi-  
mentis Grammaticæ instituuntur, planeque Collegia  
subsunt. Ac quantum quidem numero auditorum Scholæ  
ancæ sunt, tantum maturitate pietatis cultura effloruit.  
In his omnibus palmam reliquis præripit qui B. V.  
Mariæ Sodalitati nomen dederunt. Centum & 12. om-  
nino numerantur lectissimi ex omni studiosorum nume-  
ro adolescentes, qui cùm se offert occasio exemplo suo  
ciues ac nobiles ad varia pietatis officia pertrahunt. Cu-  
iusmodi sunt Xenodochia adire, pauperum inopiam cha-  
ritate sublenare, corporum castigationes publicè susci-  
pere, ijs maximè temporibus, quibus horarum 40. preces,  
vel pro totius Christianitat is, vel pro Regni huius inco-  
lumentate, concursu hominum celebrantur. Duo ex illis

Societatis institutum complexi sunt, plures alij idem expectunt. Vnius pudicitiam pertinaciter mulier procax varijs machinis quascunque excogitare potuit, expugnare nixa est. Sed castissimus adolescens primum hæc contemnere, deinde minas pro illecebris reddere: ad extremum cum effrænatam procacitatem reprimere non posset, rem rotam ad Studiosorum Præfectum refert, atque hac tandem insidiarum ac sceleris denunciatione, & furia illius spe vincendi adempta, conatus euertit, & in certamine periculoso victor euafit.

N E C minor aliorum Societatis laborum hoc anno fructus extitit quam superioribus. Hæresim eiurarunt undicim. Confessiones de tota vita auditæ septuaginta. Fœminæ aliquot à vita impura, quam multis annis continuauerant abductæ. Aliquot matrimonia illicita vel impedita vel correcta. Non defuere qui iniustè possessa proprijs Dominis restituerent. Duo præsertim qui non exiguum pecuniam hoc nomine refuderunt. Sacerdotes aliquot spiritualibus exercitationibus sese formandos nostris dedere, alij quidem, vt ad prima sacra Deo ritè offerenda se compararent, vñus vt turbulentos conscientiæ inquietæ motus componeret. Die circumcisioni Dominicæ sacro, tantus in templo nostro concursus ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta fuit, quantus nunquam anteavis. Illustrissimi fundatoris nostri liberalitas & munificencia consueta etiam hoc anno minimè desiderata est. Nam præter munuscula varia ad templi ornatum transmissa, libris etiam Mathematicæ professioni hoc ipso anno inchoatæ seruientibus, Bibliothecam egregiæ auxit: spatia Collegij ad pulchritudinem & amplitudinem dilatari curauit, redemptisque aliquot areis, & domibus quæ in eis erant deiectis, effecit vt ante Collegium & templum spatiösū & elegans forum pateat. Domum contubernio iuuenum nostrorum destinatam

nous

nouis edificijs, non sine magno sumptu auctam, commodiorem & ampliorem reddidit, eiusdemque gubernatio ut penes Nostros esset, apud R. P. Generalem magna cura & sollicitudine obtinuit. Id quod maiori iuuentutis eiusdem commodo factum esse euentus docet. Neque hic tamen de Societate merendi finem facit optimus senex. In dies adhuc maiora animo concipit & molitur, quæ suo tempore ad exitum ducat. Deus optimus maximus illum seruare diu in columnen nobis & Ecclesiæ suæ dignetur.

## COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

**V** E R V N T hoc anno Sacerdotes assidui 7. Magistri præterea Scholarum sex. Sex itidem discipuli ex Nostris humaniorum literarum. Reliqui Coadiutorum domestica munia obiuerunt. Fructus ex messe spirituali à Nostris procurata hic potissimum collectus est. Confessi de tota vita 302. A schismate vel hæresi reducti ad Ecclesiam septendecim: licentiosè viuentes ad leges matrimonij, alij à turpi priuata vita reuocati. Homicidia aliquot impedita. Nouem ad varias religiosorum familias missi: unus ad Societatem. Duæ castitatis voto obstrictæ, varijs dæmonum illusionibus proposito earum insidiantibus liberatae. Octo qui desperationis & blasphemiae spiritu acti extremum iam suæ salutis discrimin adierant, pœnitentiæ salutaris portum tenerunt. Erepti de potestate dæmonis duo arte magna implicati, partim diuitiarum, partim libidinis insanum explendi desiderium proposito studio, quorum alter annulo, alter syngrapha sanguine proprio obsignata.

E e 3

animam suam cacodæmoni desponderat: alter sacrilegijs plurimis sese nuper contaminarat: alter ausu nefario per restes & ferrum vitam sibi aliquoties perdere tentauerat. Vt ergo tandem singulari Dei beneficio à mortis & inferorum porta & limine ipso abstractus, viuit, & Deum suæ salutis auctorem prædicat. Scholæ hoc anno si unquam antea frequentes fuerunt. Numerati in illis sunt studiosi 600. quorum præcipua pars & maxima nobilium constabat filijs, etiam ex remotioribus locis studiorum causâ confluentibus. Seruati multi in medio casu hereticorum, & tenerioris ætatis, qui ex domesticorum licet improborum assidua consuetudine, non modò non contaminarentur, sed etiam eos exemplo suo ad fidem Catholicam amplectendam permouerent, nostris occulte confiteri soliti.

---

## COLLEGIVM LVBLINENSE.

**E**X eorum numero qui anno præsenti Collegium incolebant, Sacerdotes assidui erant octo, Præceptores humaniorum literarum quinque: Reliqui in varijs domesticis officijs occupati. Provincia laborum suorum in agro hoc Lublinensi heresum schismatumque diuinitis obfiso, bifariam Socij partiti sunt; in ciues, & externos. In ciuitate præcipua muniorum Societatis opera in iuuenibus primò ad pietatem & bonas literas informandis: deinde in ipsis ciuibus verbi diuini prædicatione & sacramentorum administratione excolendis collocata est. Gymnasiūm scholarum angustijs numerosius fuit: ad splendorem quippe, numerumque iuuentutis pluriūm conductus frequentia

frequentia nobilium virorum, qui occasione Tribunalium regni hic commorantur, & scholas nostras, actusque publicos sira præsentia cohonestare libenter solent. Virtutis ac pietatis semina in iuventute, maioribus in dies asurgunt incrementis, præsertim Sodalitatis Parthenicæ, quæ hoc anno protulit aliquot varijs religiosorum ordinibus. Nec desunt quibus Societas etiam est in votis. In ciuitate concionator noster Societati amorem & auctoritatem non vulgarem domi sotisque conciliauit. Aperta huius rei signa concursus numerosi, eleemosynæ frequentes, crebra de rebus fidei consilia. Adiæc porro humilitatis & amoris indicia Nobilitum virorum (e quibus aliquot ordinis Senatorij numerantur) egregijs amoris notis erga nos concitantur. Quod tum ad fidem per Nostros propagandam; tamen ad rem domesticam hactenius implicatam, quantum condiscat facile perspicere potest. In religionis commodum illud inter alia actum. Quod dum Iudæi quatror infanticidium luctuosissimum condigna tanto scelere poena eluisserent, ne turpitudo facinoris ad posteritatis memoriam tabulis publicis inferretur, cætera eiusdem gentis colluuiis, alloquin tenacissima, nullis parcens sumptibus, auro profuso, causæ æquitatem animosque Iudicum perstringere laborabat; sed conatus illorum irritos, Dei fauore adiuta nostra fecit industria. Itaque enorme puericidium publico archivio mandatum est, libris impressis postmodum orbi vniuerso detegendum. Protigata è ciuitate studio Nostrorum occasio quædam licentiosè viuendi, quæ multis exitio salutis extiterat, & in dies altiores radices agebat. Ex fœminis quæ pudicitiam vulgauerant, decem ex conclamato hoc creptæ sunt incendio. Ad publicos carceres, & Nostrom singulis penè hebdomadis Nostrorum inituntur subsidia. Aegrorum inopias, & eorum quos pudor a quætenda stipe deterret subuentum. Multi Nostrorum indu-

stria à grauibus, ijsque diuturnis dissensionibus conquiērunt. Multa auri vis, partim fraude, partim inscitia iuris, adempta ad dominos suos redijt. Aliquot coniugum malè copulatorum paribus persuasum ut legitimas nuptias inirent. Ad eluendas totius vītæ noxas inducti prope 300. Plurimi qui vel nunquam, vel malè à multis annis criminā detexerant, tandem integrè per confessionem apud nos eluerunt.

NON segniori opera externis quoque latæ suppetitæ. Leuartowia (id oppidi nomen est 4. leucis à Lublino) inuidantis Arianismi fluctibus à multis annis agitata, Deo opem ferente, ex naufragio tandem veritatis portum attigit. Plurimos ibi videre est decrepitos autam religionem postliminio reuocatam, non sine lachrymis complexos, multos quadragenarios, sacri fontis poenitentia, alijsque orthodoxis sacramentis expurgatos, egregios in corporibus effoetis animorum fructus producere. Templorum ruinæ restauratæ. Suppellex sacra sacris vīsibus accommodata. Salutatio Angelica pro more instituta. Superstitiones multæ abolitæ. Doctrina Christiana introducta ut catechismus toto pene oppido personet. Ad quam tam læta pietatis incrementa, exemplo subsidioque fuit hæres oppidi, qui in ipso propemodum mortis limine Ecclesiæ Catholicæ per nostros VVarssauia redditus, & ibidem vita functus est, magnis editis egregiæ constantiæ in fide Catholicæ indicijs. Postea in huius oppidi templo primario sepultus fuit, uno ex Nostris qui Lublino accersitus fuerat, magno nobilium tam hæreticorum, quam Catholicorum concursu pro more patriæ funus prosequente. Duo supra 30. partim Arrianæ, partim Caluinistæ impietas vinculis irretiti in libertatem catholicam se vindicarunt. In quibus unus fuit, qui spiritum exhalans astantem virum quemdam sibi videre visus, qui si perfidiæ venenum ejceret, sanandum adstruebat. Nec irrita

vīso.

visio. Delatus extemplo curru ad Nostros , eiurat hæresim , vnde & mentio sanitatis & corporis est subsequuta. Hunc & alius imitatus , qui ipsum ferè atheismum iam complexus fuerat, sed perfidam detestatus infamiam , fidem nobiscum complexus est , amorisque sui casulam pulcherrimam pignus apud nos depositus. Ex Græci schismatis colluuie euasere circiter sexaginta. De his unus morte multandus , cum à Poppo suo schismatico sacramentis de more munitus esset , intercedente Nostro , ad gremium Ecclesiæ per confessionem ab ipsis inferis & portis mortis reuocatus , utramque vitam iam amittendam acquisiuit. Quidam rursus nomine tenus Catholicus , quem sua scelera ita præcipitem agebant , ut Turcismum meditaretur , Deo dexteram suam supponente , desperationem confidentia , confessione yni è Nostris facta , commutauit. Alius hosti à quo utraque manu mutilatus fuerat , orante Nostro , frementibus amicis veniam delicti vtrò dedit non petenti. Inter paria coniugum propè decem sublatæ suspiciones , quæ perpetuas ferè discordias fouebant. Suam in nos benevolentiam multi testati sunt , egregijs etiam eleemosinis ac beneficijs , quæ partim in pecunijs , partim in variaz suppellectili donata , summam 2000. florenorum benè excesserunt. In ijs magnifici Domini Palatini Cracouensis 500. florenos numerauimus.

E e A. R. A.

## DOMVS PROBATIO-

NIS CRACOVIENSIS AD

S. STEPHANVM,

**D**OMVS hæc præter Nouitios quibus abundabat, aluit veteranos 11. e quibus erant Sacerdotes quatuor, reliqui domesticis officijs destinati. Nouitijs quo plures erant, eò acris ad studium perfectionis mutuis sese exemplis accendebant. Vnus etiam egregium suæ constantiæ in sua vocatione specimen edidit. Erat is natus haereticis parentibus, à quibus cum ad Collegium quoddam nostrum, studiorum causa missus esset, non multò post haeresim execratus, ad Ecclesiam Catholicam animum addidit. Rem subodoratus Pater haereticus, illicè aduolat, terret, minatur, omnes machinas ad expugnandum auertendumque à fide Catholica animum adolescentis admonet. Sed frustra. Re profus infecta, cum neque ullis persuasionibus filius cederet, neque cum parente impio redire vellet, solus tandem parens furijs agitatus, redire in dominum suum coactus est. Mox vero idem adolescentis in fide confirmatus, diuitijs etiā omnibus paternis, Christi paupertatem anteponere constituit. Societati nomen dedit, eaqué alacritate domi nostræ sese in solitis probationis officijs exercet, ut fuisse aliquando imbutum haeresi nemo credat.

ERGA externos ad omnem pietatem imbuendos nostrorum labor & industria sese non inutiliter exercuit. Rebelles aliquot filij Matris Ecclesiæ reconciliati sunt, qui vel haereticorum, vel ichismaticorum castra secuti fuerant. In his hypodidascalus quidam Lutheranus, qui ex-  
acta

acta iam ætate, licet ægrè pedibus sese regeret, in templum tamen nostrum venit, & sacramentorum Ecclesiæ publica perceptione fidem suam profiteri, & perfidiam vitæ præteritæ detestari voluit. Exulti exercitijs spiritualibus non pauci, fructu hand contemnendo Abbas inter alios vnum vir. & nobilitate & professione sua clarissimus. Oratio quadraginta horarum pro publicis Ecclesiæ & regni necessitatibus in templo nostro habita magna hominum pietate & frequentia. Lites & inimicitiae graves per Nostros soperitæ. A vita turpi sex fœminæ abductæ. Idem factum cum fœminis aliquot. Restitutio pecunia præstata: vna notabilis præter alias plurimas magni ponderis. Confessiones de tota vita duodecim auditæ. Sacellum nostrum ornatum hoc anno insigni altari nouo, cuius structura florensis prope quadrageantis constitit. Aucta etiam eiusdem facelli suppellex sacra varia non parui precij. Necessitatibus domus piorum hominum liberalitate subuentum est per eleemosynas sponte oblatas. Denique ad stabiliendam augendamque fundationem, duo viri nobiles, quorum corda Deus mouit, non parum contulerunt. Nam alter in hortum quendam suburbanum florensis septingintis a se in hunc finem comparatum, alter in pagum & prædium hæreditarium, quod anni redditus reddit ferè florenos 700. ius suū omne Domui inscripsit, possidendum à Nostris post mortem illorum.

## RESIDENTIA LEOPOLITANA.



CTO è Nostris hic locus & annus tenuit.  
Quinque Sacerdotes in re spirituali promouenda, & tres fratres in domestica occupatos.  
Cum iam à R. P. N. Generali permisum es-  
set,

Let, vt Societas Collegium in hac celeberrima Russiæ metropoli, si qua occasio sese offerret, acceptare posset, & nostri fundatorem desiderarent, hoc tandem anno exciti laboribus Nostrorum, & fructu eos consequente è precipua nobilitate nonnulli consilium fundandi Collegij inierunt, & tum bona quædam immobilia, tum census perpetuos ad illud inchoandum liberalissimè obtulerunt. Nam magnificus D. Stanislaus Stanizki, quod iam pridem in oppido quodam Russiæ, quod iure hæreditario possidebat, meditabatur, mutato in melius consilio, Leopoli fundare Collegium apud se constituit, & hoc nomine villam suam hæreditariam Societati donavit, & quingenos præterea florenos annuos ex bonis suis Liffensibus assignauit & inscrispit, vt iam Collegium mille & amplius florenorum annuorum prouentum numeret. Huic exempla sequutæ duæ illustres matronæ Mielicciae sorores germanæ, quarum vtraque maritis libentibus sortes suas in villis quibusdam duabus Societati inscripserunt, altera etiam adiecit decem millia florenorum circiter in idem opus. Quo in negotio singularis quædam diuina prouidentiæ dispositio obseruata est. Cum enim vtraque illa soror alia lögè diuersa auxilia huic fundationi medietaretur, & antea aliquoties obtulisset, nec sua cōsilia hac de re altera alteri cōmunicaret, tamen hoc anno eodem penè tempore in longe remotissimis à se inuicem dissitæ Regni huius partibus, in earūdem villarum donatione & inscriptione Collegio Leopoliensi facta conuenerunt, vt videantur diuinitus fuisse ad hoc negotium permota: ne fortè vna pars villarum sine altera nobis donata aut paruo esset usui, aut negotium deinceps non paruum fac esseret. Non desunt alij primarij tum viri tum foeminae, qui plura etiam præsidia ad fundandum & stabiendum Collegium hoc promittant & offerant, vt spes sit magnis illud incrementis auctum iri, cùm primum de situ aliquo certo

certo constitutum fuerit. Interim pergunt Nostri in confessionibus, alijsque Societatis ministerijs consuetis fructu non contemnendo, quem tum in ipsa ciuitate, tum in missionibus varijs colligunt. Hæretici ad fidem & Ecclesiam Catholicam reducti quadraginta & plures. Russi à suo schismate 30. A Turcismo Christiani apostatae 3. Ab eadem Mahometana impietate Scytha vnuſ, nunquam antea sacris Christianorum initiatuſ. Homicidis, vsurariis, concubinariis, & aliis facinorosis persuasa poenitentia pluribus. Atque ut è multis exempla aliqua insigniora actingam: vir quidam nobilis natus & educatus in hæresi, nocturna visione admonitus ad Nostros se contulit, & ab iisdem in fide instructus, Deo & Ecclesiæ reconciliatus est. Alius item spectris in infirmitate exagitatus, & de sua salute iam desperans, per sacramenta à nobis percepta salutem mentis & corporis consecutus fuit. Non defuit, qui per varias hæreses, ad atheismum tandem spectabat, sed cum vni è Nostris animi sui æstus aperuisset, ad confessionem adductus est, & optata animi tranquillitate potitus. Quidam glande plumbea trajectus antequam è vita discederet, occisoruſ suo crimen condonauit. Nobilium pariterque ciuium in nostros homines benevolentia augetur in dies. Quod cum multis ſæpe alijs indicijſ, tum verò ijs potissimum, quibus P. Martini Laterna diſceſſum in Sueciam, & obitum proſequuti ſunt, abundè teſtatum fecerunt, nullum officij genus prætermittentes, quod erga viuum, aut mortuum à gratissimo quoque proficifei, aut desiderari potuit. Is enim totis ſeptem annis magna omnium ſatisfactione concionatoris in hac Ciuitate munus cum obiuiffet, euocatus tandem est auctoritate ſuperiorum, vt Serenissimo Regi in expeditione Suetica à concionibus effet. In Sueciam infirmo admodum corpore appulit, ubi cum aliquantum ex maris tempeſtuofī iactatione respirasset, rebus ad pacem ſpectantibus, in Poloniā

niam redditurus, nauem iterum ipso die S. Michaelis Archangeli concedit: die vero sequenti, dum ad promontorium quoddam ventos nauigationi opportunos expectat, à Piratis Carolianis, qui mare illud Balticum nondum infestare desierant, repente inuaditur: nauis in potestatem hostium redacta, statim capitur, & yna cum reliquo Polonorum comitatu scaphæ impositus, atque in aliam prouectus demergitur. Hic fuit finis laborum omnium optimi Patris, quibus nunquam satiari potuit, & ita sibi animos, præsertim vero Leopolensium, deuinxerat, ut vix filij parentis vel discessum, vel obitum dolere tantum potuerint, quantum illi doluerunt sibi erectum.

## RESIDENTIA TORVNENSIS.



VATVOR è Societate in hoc loco degunt, sacris initiati omnes, qui scholis nondum erectis, ijs quæ sunt nostri instituti strenuè interim vacarunt. Triplex concio festis diebus singulis ad populum habita, duæ Polono, tertia Germanico idiomate. Ad funera nobilium exhortationibus coherestanda non raro sunt euocati Nostri. Catholicorum animi, quorum in hac Vrbe vires sunt exiguae, & opes tenues, hoc anno nonnihil videntur esse erecti & excitati, tum ob supplicationes publicas introductas, præsertim eam quæ ipso die Corporis Christi (iam à 50. annis in Ciuitate hac hæretica non visa) magno Catholicorum solatio hoc primum anno publicè peracta est: tum ob constitutam opera Nostrorum quandam Sodalitatem, cuius est imprimis prouidere, ut SS. Sacramentum Eucharistie ad egrotos cum omni reverentia & cultu debito de-

to deferatur; deinde ut tenuioribus Catholicis honesta sepultura non desit. Iniectus quibusdam scrupulus pravae religionis, & inuenti 23. qui pristinis erroribus, quos cum hæresi imbiberant, nunc remissere. Plures è Catholicis intermissa Poenitentiæ & Eucharistiæ sacramenta repetiuere. Multi de tota vita confessi sunt. Aliqui à falsa persuasione sui corporis à demone obsessi, abducti. Vir nobilis nuptijs apparatis in magna nobilium frequentia, sponsam depactam relinquere, quam à Ministro hæretico copulari maluit. Nonnulli per somnium ut peccata eluerent confessione commoniti, paruerunt. Rudes catechismo instructi. Casuum explicatio, propter Ecclesiasticos qui hic superfuere, hoc item anno suscepta non sine fructu. Scholas nostras desiderant plurimi, è nobilitate præsertim: sed timent vehementer hæretici, & sese præmunire volentes, Collegij sui spatia dilatant, augent ædificia. De accessendis è Germania hypodidascalis nouis cogitant; sed speramus conatus eorum omnes elusum iri, vbi primùm ludum nos aperuerimus.

## RESIDENTIA VVARSZAVVIENSIS.

**G**OMMORANTVR in hoc loco Sacerdotes tres è Nostris, cum fratre uno Coadiutore temporali, præter duos Patres & totidem fratres, qui pro missione aulica sunt deputati, & residente Serenissimo Rege VVarszavviæ ipsi quoque cum cæteris eadem domo vtuntur in hunc finem comparata. Postquam Nostri hic pedem fixerunt factus est magnus ad eos concursus sacramentorum Eucharistiæ & Poenitentiæ percipientium gratia, ita ut integris quatuor

tuo mensibus huius anni, vnuſ ex nostris 559. confessio-  
nes exceperit. Multi aliquot annis neglectam cōfessionem  
repetinerunt, vnuſ etiam homo iam adulta ætate inuen-  
tus, qui nunquam eam antea fecerat. Hæretici quinque,  
Schismatici tres ad Ecclesiam reducti. Ciues nobiles suam  
in nos benevolentiam multis amoris officiis testantur,  
nosque iuuerunt egregiè hactenus cùm in aliis multis,  
tum verò in situ & domo peropportuna acquirenda.



## PROVINCIA ARAGONIAE.



VNT in Aragonia Prouincia, domiciliis  
distincti decem, Socij trecenti. Valentia  
in domo Professa vnde quadraginta. In  
Collegio quadraginta. Totidem in Col-  
legio Cœsaraugustano. In Barcinonensi  
triginta. Vno plus in Gandiensi. In Bil-  
litano sedecim. In Gerundensi ynus & viginti. Vno mi-  
nus in Turrasonensi. In Balearico viginti quinque,  
In domo Probationis Tarragonensi duodetriginta. Mor-  
tui quinque, è quibus Pater vnuſ, fratres quatuor. Ad-  
missi sedecim. Aucta Prouincia Vrgelitano Collegio, &  
domo Probationis Oriolana nuper admissis, necdum ta-  
men incoli coeptis.

TOMUS

DO